

juste possideat, sive injuste, nemo propria auctoritate, atque sine judicis decreto, apprehendere, et possidere potest: alioquin cenetur prædo; cit. l. *Si ex stipulatione*: et rem alteri ablatam tenetur restituere, l. *Nec ex vera. c. de Acquirend. possess.* Nam, quod spoliatus ante omnia sit restituendus, patet ex cap. ult. *de Ordine cognition.* cum concordantiis; estque ex professo dictum supra lib. II. tit. XIII. *De restitutione spoliatorum.* § 3. n. 48. et seqq. Et propter ista in præmissis conclusionibus notanter, ac repelitis vicibus, additum fuit ly, «Vacuam possessionem beneficii:» quæ amplius confirmatur ex dictis supra eod. lib. II. tit. XII. *De Causa possessionis*, etc. § 4, n. 115, et 118.

§ III.

DE INSTITUENDIS IN BENEFICIIS, JUREQUE EORUM PER INSTITUTIONEM ACQUISITO: UBI ET DE INSTITUTIONE, AC DISPENSATIONE SUI IPSIUS.

61. *In beneficiis ecclesiasticis laici non possunt institui, sed soli clerici.* — Quæritur I. Quinam sint instituendi in beneficiis. Resp. I. In beneficiis ecclesiasticis laici non possunt institui, sed soli clerici. Ita communis, et patet ex cap. II. h. t. ibi: «Cum laici non debeant in canonicorum numero computari.» Et hoc adeo verum est, ut seclusa speciali dispensatione apostolica non sufficiat, si quis eorum primum post factam institutionem in beneficio, vel etiam collationem ipsius, fiat clericus suscipiendo primam tonsuram, arg. c. *Ex litteris. 6. de Transactionib.* estque amplius dictum supra l. I. tit. VI. *De Electione.* § 9. n. 219.

62. *Clerici possunt institui in beneficiis certum ordinem sacrum requiruntibus, licet istum nondum habeant.* — Resp. II. Nihilominus clerici a patronis præsentati, possunt institui in beneficiis certum ordinem sacrum requiruntibus, licet istum nondum habeant: dummodo infra tempus a jure statutum possint ad requisitum sacrum ordinem promoveri, et alias sint idonei. Ita communis; estque decisum cap. II. h. t. in 6. illis verbis, «Si is ad quem rectoris præsentatio in aliqua parochiali Ecclesia noscitur pertinere, quempiam non constitutum in sacris præsentet ad eam, ipsum (dummodo alias sit idoneus, et infra tempus a jure statutum ad ordines, quos ipsius Ecclesie cura requirit, valeat promoveri) decernimus admittendum.» Hæc pontifex.

63. *Dummodo infra tempus a jure statutum possint ad ordinem requisitum promoveri.* — Additur notanter in conclusione, «Dummodo infra tempus a jure statutum possint ad requisitum sacrum ordinem promoveri.» Hoc enim expresse requiritur in præallegato textu, juncto c. *Licet. canon. 14. de Election.* in 6. ubi Ecclesiam parochialem recipiens, jobetur intra annum sacerdos fieri.

64. *Et alias sint idonei.* — Additur ulterius, «et alias sint idonei.» Nam, quod clerici ad beneficia admittendi, debeant esse idonei, præter jus naturale, pariter liquet ex relato textu, et pluribus aliis concordantiis. Atque ideo v. g. clericus minorista, præsentatus per patronum ad beneficium parochiale, tempore præsentationis debet esse viginti quinque annorum, saltem inchoatorum: ista quippe ætas requiritur in promovendis ad beneficia curata, c. *Cum in cunctis. 7. Inferiora. de Election.* et cit. c. *Licet canon. 14. eod. in 6.* et notat Pirhing, h. t. n. 12. citans alios. Idem, servata proportione, dicendum de reliquis qualitatibus, quæ requiruntur ex parte eligendorum, atque preficiendorum, sive instituendorum in beneficiis ecclesiasticis; atque superius lib. I. tit. VI. *De Electione.* § 9. et tit. XIV. *de Ætate et qualitate*, etc. a n. 2. usque ad n. 22. ex professo declarantur. Et quæ ejusmodi qualitates, in instituendis requisitæ, plures sunt, in locis proxime citatis videndæ: hinc, ne clerici eisdem, vel saltem aliqua ipsarum carentes, minusque idonei instituantur; provide concilium Tridentinum, sess. 7. cap. XIII. *de Reform.* expressis verbis decrevit, neminem ad quævis beneficia ecclesiastica esse instituendum, confirmandum, vel quovis modo admittendum, nisi prævio ordinariorum examine idonei reperiantur ut jam dictum paulo superius n. 15. et seqq.

65. *Regulariter in beneficiis non debent institui clerici unius duntaxat originis, seu nationis; sed vivi litterati, et idonei, undecunque venientes.* — Resp. II. Regulariter loquendo, in Ecclesiis, beneficiisque ecclesiasticis, non debent institui clerici unius duntaxat originis, seu nationis, spernendo, seu excludendo cæteros: sed viri litterati, et alias idonei, undecunque originem trahant. Ita textus expressus in c. *Ad decorem. 5. h. t.* addita illa ratione: Quia, «qui facit justitiam, acceptus est Deo, nec sanctuarium Dei convenit jure hæreditario possidere.» Concordat can. *Nos*

qui præsumus. et can. *Non loca. dist. 49.* et can. *Dominus. dist. 36.*

66. *Dummodo excipiantur beneficia patrimonialia.* — Additur tamen in conclusione, «regulariter loquendo,» propter beneficia patrimonialia. Hæc enim ex primæva sua fundatione, per Ecclesiam acceptata, et approbata, debentur certæ nationi, vel familiæ, dummodo ex ea adsint idonei, qui possint, ac velint promoveri ad hujusmodi beneficia vacantia: ut jam dictum supra tit. V. *de Præbend.* § 2. num. 40. (ADNOTATIO IV.)

Quæritur II. Quot sint instituendi in collegiis clericorum, aut in monasteriis regularium recipiendi? Resp. I. Numerus clericorum in Ecclesiis collegiatis, et monachorum seu monialium in monasteriis, debet constitui secundum facultates ipsarum Ecclesiarum, vel monasteriorum: adeo, ut tot instituatur, seu recipiantur, quot ex redditibus talis Ecclesie, vel monasterii, seu elemosynis consuetis commode sustentari possunt; plures autem non admittantur. Ita communis; textu claro concil. Trid., sess. 25. *de Regul. c. III.* ibi: «In monasteriis tam virorum quam mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, in tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis elemosynis commode possit sustentari.» Concordat c. I. h. t.

67. *Quot sint instituendi in collegiis clericorum, aut in monasteriis regularium recipiendi? Numerus eorum debet constitui secundum facultates Ecclesiarum, vel monasteriorum, nec plures admitti.* — Porro numerum monialium jurisdictioni episcopi immediate subjectarum determinare, pertinet ad solum episcopum; monialium vero exemplarum numerum taxare, cumulative spectat ad episcopum et superiores regulares, et constit. Gregorii XIII. quæ incipit: *Deo sacris virginibus*, quæ habetur in *Bullario Cherubini* 38. inter constitutiones dicti pontificis; quam etiam refert Quaranta y. *Monasteria monialium*, et Bruno Neusser in *Polyanthea*, disp. 173. q. 19. ubi pro hæc doctrina citat communem. Idem, teste Lezana, y. *Moniales.* n. 5. censuit sacra congregatio sequentibus verbis: «Præfixio fiat ab ordinario duntaxat in monasteriis sibi subjectis; in cæteris vero, quæ regularibus subdita sunt, fiat eadem præfixio ab ordinario cum interventu tamen superioris regula-

ris.» Videri etiam potest Antonell. *de Regim. eccl.* lib. VII. c. II. n. 2. Barbosa, *Jur. Eccles. univ.* l. I. c. XXIV. n. 23.

68. *Simulque tot recipi, quot ex consuetis redditibus sustentari valent.* — Atque hæc verba, licet negative sint concepta, includunt nihilominus etiam præceptum affirmativum: nempe, ut tot recipiantur, quot ex consuetis redditibus absque penuria sustentari possunt. Abbas cit. cap. I. n. 2. h. t. inde desumens bonam præctitam contra prælatos, qui avaritiæ causa nolant instituire multos monachos: possunt enim tales compelli ab eorum superioribus, ut tot instituatur, quot ex redditibus Ecclesie sine penuria sustentari valeant. Fagnanus, c. *Non amplius.* n. 5. h. t.; Pirhing, eod. n. 15.

69. *Intelligendo istud etiam de Ecclesia numerata.* — Atque istud procedit etiam in Ecclesia numerata, sive in qua certus numerus canonicorum aut regularium, per statutum, etiam a Sede apostolica confirmatum, determinatus est. Nam si redditus talis Ecclesie notabiliter augeantur, hoc est in tantum crescant, ut præter fabricam Ecclesie conservandam, aliæque onera præstanda, pluribus canonicis, vel religiosis competenter sustentantis sufficiant: tunc numerus præbendarum, ipsorumque canonicorum augeri debet, non obstante confirmatione Apostolica de minori numero facta, juxta textum notabilem in c. *Cum M. 9. de Constitut.* et c. ult. *de Verb. signif.* Siquidem in confirmatione apostolica, vel exprimitur vel saltem tacite subintelligi debet conditio, seu clausula illa: «Nisi redditus excrescant:» prout observat Pontifex in cit. c. *Cum M. § Mandamus:* juncta Glossa, v. *Possent sufficere.* et doctoribus ibid.; Fagnanus, c. *Non amplius.* n. 34. h. t. allegans communem.

70. *Si redditus Ecclesie notabiliter decrescant, potest numerus canonicorum, etiam taxatus, diminui.* — Et vice versa, ab argumento a sensu contrario desumpto, si redditibus Ecclesie notabiliter decrescant, adeo ut non sufficiant taxato numero canonicorum, vel regularium honeste sustentandi, potest numerus ille diminui non obstante confirmatione apostolica, arg. c. *Cum accessissent. 8. de Constitut.* ac notat Abbas, ibid. n. 3. vers. *An autem possint diminui;* Pirhing, h. t. n. 15. Not. 3. Concordat concilium Tridentinum, sess. 24. cap. xv. *de Reform.* concedens, ut in Ecclesiis cathedralibus, et collegiatis insignibus, non nisi tenes, et

insufficientes præbendas habentibus, liceat episcopis cum consensu capituli aliqua beneficia simplicia eisdem unire; vel, « si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis — eas ad pauciores numerum reducere; » etc. prout amplius continet dictum concilium.

71. *Propter modicum tamen incrementum, vel decrementum, non est recedendum a numero consueto.*—Additur notanter in præcedentibus duobus numeris, notabiliter augeantur, seu decreascent. Siquidem propter modicum incrementum, vel modicam diminutionem redditum, non est recedendum a numero consueto. Glossa un. in cap. I. et Abbas, ibid. n. 4. h. t. simulque augmentum, vel decrementum illud, debet videri stabile futurum: alioquin enim unus annus suppleret defectum, vel excessum alterius. Pirhing, h. t. n. 15. Not. 2. Nec etiam numerus præfixus canonicorum rumpitur ipso jure per augmentationem, seu diminutionem redditum; sed inducit solum potentiam rumpendi. Fagnanus cit. c. *Non amplius*. n. 36, post Imolam ibid. n. 3. Abbatem n. 5. h. t.

72. *Intra quod tempus debeat fieri institutio præsentatorum in beneficio aut confirmatio electorum. Tempus istud non est a jure præfinitum, dummodo non diu differatur.* — Quæritur III. Intra quod tempus debeat fieri institutio præsentatorum in beneficio? Resp. I. Respectu institutionis præsentatorum faciendæ in beneficiis, non reperitur tempus a jure præfinitum, dummodo non diu differatur. Ita Abbas c. *Nulla Ecclesiastica*. n. 12. et 13. de *Concession. præbend.* hoc ipsum docens de tempore, quo faciendæ est confirmatio electionis: quia non habetur determinatum in jure. Garcias, part. X. de *Beneficiis*, cap. IV. n. 1. citans plures alios, ac præsertim Rotam in Dertonens. jurispatronat. 8 februar. 1599. coram D. Penna: in qua fuit dictum, quod beneficium non est devolutum ex eo, quod ordinarius distulerit instituere; cum non sit tempus præfixum, etc. Id ipsum docet Barbosa, part. III. de *Offic. et potest. episc.* allegat. 72. n. 191. allegans etiam Rotam decis. 5. de *Jurepatronat.* in novissim. et sequitur Pirhing, h. t. n. 19. allegans communem.

73. *Quid agendum, si institutio, vel confirmatio diutius æquo differatur?* — Resp. II. Quod si vero habens potestatem instituendi præsentatos, aut confirmandi electiones electorum, fuerit negligens, aut plus æquo

differat, seu penitus recuset instituere, aut confirmare; tunc recurrendum erit ad superiorem, qui certum tempus præfigat ad instituendum, vel confirmandum: quo elapso ipsemet superior supplebit, vel compellendo, vel instituendo. Ita Abbas cit. n. 10. Garcias, d. cap. IV. n. 5; Barbosa, ubi supra, n. 191. et alii passim. Nec immerito: quia alioquin ex diuturniori vacatione beneficiorum, ac defectu rectorum, facile grave dispendium possent incurrere Ecclesiæ vacantes; imo in beneficiis curatis immineret quoque periculum animarum, c. *Ne pro defectu*. 41. de *Election.* Ob quam causam Pius V. per bullam, quæ incipit: *In conferendis*. 33. apud Cherubinum, constituit, ut, quamvis ordinarie loquendo, pro institutione præsentatorum in beneficio, nullum a jure determinatum habeatur tempus, in parochialibus tamen, sive deinde sint jurispatronatus ecclesiastici, sive laicalis, sive mixti, institutio fiat intra bimestre, a die præsentationis computandum; quo tempore ordinariis (sunt verba bullæ § 4.) « Institutionem facere negligentibus, possint patroni pro hujusmodi institutione obtinenda habere recursum ad metropolitanum, vel viciniorem ordinarium, aut Sedem apostolicam. » Antonell. de *Temp. legali* lib. III. c. XVII. n. 3; Pax Jordan. tom. II. de *Re benefc.* lib. X. tit. VII. n. 400. de *Just.*

74. *Per præsentationem clerico cæteroquin idoneo, acquiritur jus ad rem respectu beneficii.* — Quæritur IV. Quale jus acquiratur præsentatis, atque institutis in beneficio ecclesiastico? Resp. I. Per præsentationem a patrono, seu habente juspatronatus factam circa personam clerici cæteroquin idonei, et consentientis, acquiritur huic jus ad rem respectu illius beneficii obtinendi: adeo ut episcopus possit compelli ad eum instituendum. Ita desumitur ex c. *Cum Bertoldus*. 18. § fin., de *Sentent. et re judicat.* et notat Abbas, ibid. n. 11; Fagnanus, c. *Tua nos*. n. 5. de *Simonia*, et alii passim. Accedit c. *Significasti*, 18. et c. *Cum autem*. 14. de *Jurepatronat.* ubi clericus a patrono præsentatus, et cæteroquin idoneus, jubetur institui: hoc enim necessario non esset faciendum, nisi clerico idoneo præsentato jus aliquod ad beneficium vi illius præsentationi acquisitum fuisset.

75. *Præcipue loquendo de jurepatronatus ecclesiastico. Patronus ecclesiasticus nequit variare præsentando alterum. Præsentatio pa-*

troni ecclesiastici habet vim electionis. — Et hoc præcipue verum est in jurepatronatus ecclesiastico. Siquidem patronatus ecclesiasticus variare non potest præsentando alterum: et si hoc fecerit, nihilominus præferatur is, qui primo est præsentatus, atque idoneus existit, cit. c. *Cum autem*. 24. de *Jurepatronat.* Nam præsentatio patroni Ecclesiæ, habet vim electionis. Abbas d. c. *Cum autem*. n. 3. post Innocentium; et Robertus Lancellottus, part. II. n. 557. et alii passim. Unde, sicut electoribus non licet variare publicato semel scrutinio, c. *Publicato*. 58. de *Election.* ita nec patrono ecclesiastico variare permittitur: et sicut electio, cæteroquin rite celebrata, et acceptata, tribuit electo jus ad rem respectu beneficii juxta dicta superius lib. I. tit. VI. de *Electione*. § 2. n. 31. et seqq. ita et præsentatio clerici idonei per patronum ecclesiasticum facta.

76. *Quid dicendum de præsentatione per patronum laicum facta?* — Atque hoc ipsum est dicendum de præsentatione per patronum laicum facta, quando is unum duntaxat clericum præsentat ad beneficium vacans: nam tunc iste, si idoneus sit, debet institui, per jura proxime allegata. Quia tamen patronus laicus potest variare, ac præsentare uno, vel pluribus, alium adhuc præsentare (non quidem private, seu excludendo jam præsentatos; sed cumulative, sive adjungendo priori, vel prioribus, alium adhuc cit. c. *Cum autem*. 24. et c. *Patronalis*. 29. de *Jurepatronat.* juncta Clem. *Plures*. eod.) hinc jus ad rem respectu beneficii ex præsentatione patroni laici acquisitum, non est omnino firmum, et stabile; cum per variationem, seu præsentationem accumulativam alterius possit denuo elidi. Tali enim variatione per patronum laicum facta nullus præsentatorum habet singillatim jus ad rem respectu beneficii; sed istud residet penes omnes communiter, donec episcopus illum, quem magis idoneum judicaverit, ex ipsis elegerit.

77. *Institutio verbalis, seu collatio canonica tribuit jus in re, seu jus perfectum in beneficio, etiam ante traditionem possessionis.* — Resp. II. Institutio verbalis, seu collatio canonica beneficii, postquam est acceptata, tribuit jus in re, sive jus perfectum respectu beneficii, etiam ante traditionem possessionis, hujusque apprehensionem. Ita Glossa in cap. penult. §. *Collatio*. de *Præbend.* in 6. asserens, quod, « si præcessisset collatio, jus habuisset non ad rem, sed in re respectu præben-

dæ. » Atque hanc Glossam sequitur, ipsamque communiter esse approbatam, testatur Covarruvias, lib. III. *Var. resolut.* cap. XVI. n. 1; Dynus in reg. 1. n. 8. de *Reg. iur.* in 6; Jason l. *Quoties*. n. 12. C. de *Rei vindicat.*; Flamin. Parisius, *Resignat. benefc.* lib. X. quæst. 6. n. 2. et 55; Gonzalez, ad reg. 8. Cancellar. gloss. 15, § 1, n. 15. Barbosa, c. *Si tibi absent.* n. 4. de *Præbend.* in 6. citans alios. Et pro hac conclusione facit textus optimus in cap. ult. § fin. de *Concession. præbend.* in 6. ibi: « Quorum ratione tunc non erat ad collationem processum, et sic per consequens jus in re non fuerat ipsis impetrantibus acquisitum: » et consequenter, argumento a sensu contrario, si fuisset processum ad collationem beneficiorum, de quibus ibidem est sermo, jus in respectu illorum acquisitum fuisset impetrantibus.

78. *Postquam tamen est acceptata.* — Additur notanter in conclusione, « postquam est acceptata. » Siquidem, ut acquiratur jus in re, seu perfectum in beneficio, omnino requiritur acceptatio illius, qui collationem sibi factam obtinuit; uti habetur textu aperto in c. *Si tibi absent.* 17. de *Præbend.* in 6. illis verbis: « Si tibi absent per tuum episcopum conferatur beneficium, licet per collationem hujusmodi (donec eam statim habearis) jus in beneficio, ut tuum dici valeat, non acquiras, » etc. Ubi Glossa, et Barbosa, in *Collectan.* n. 3. et Flamin. Parisius cit. lib. X. quæst. 8. n. 7. et seqq. allegans alios.

79. *Acceptatio hujusmodi potest fieri non tantum clerico promoti sed etiam ab alio ejus nomine.* — Poterit tamen hujusmodi acceptatio non tantum fieri ab ipso clerico promoti, seu cui collatum est beneficium; sed etiam ab alio ejus nomine, arg. c. *Accedens*. 24. de *Præbend.* ubi decisum legitur, quod etiam « Clericus absens per alium, vel alius magis pro ipso, poterit de beneficio ecclesiastico investiri. » Unde a fortiori potest absentem conferri beneficium mediante alio; prout notant summarium, et Abbas n. 1. et Barbosa, ibid. n. 1. citans alios.

80. *Etiam a laico.* — Et addunt doctores, etiam laicum posse constitui procuratorem ad acceptandum beneficium ecclesiasticum pro clerico absente. Abbas cit. c. *Accedens*. n. 5. *Præbend.* et Joan. Andreas, ibid. n. 2. quamvis addat, tutius esse, quod sit clericus; Barbosa, loc. cit. n. 2, Flamin. Parisius, d. lib. X. quæst. 8, n. 35, allegans commu-